

accipiunt, pro idolorum cultoribus universis, quod sicut Chananaeos Judaei e patriis sedibus expulerant, sic idolorum cultores cesserunt Dei veri cultoribus. Alii id interpretantur sic: ET TRANSMIGRATIO EXERCITUS HUIUS, id est, Apostoli et fideles ea incolentes loca, quae quondam obtinuerunt Chananaei, ab iis, modo suis, antea Chananaeorum locis, per vim a Judaeis infidelibus pulsati, et alio demigrare coacti, simulque a Deo missi ad Evangelicae semen doctrinae late spargendum, pervenient Sareptam usque, id est, usque ad extremas orbis oras, ut statim dicemus. Cui certe expositioni multum favent Hebraica, in quibus ad verbum sic legimus: ET TRANSMIGRATIO EXERCITUS HUIUS FILIORUM ISRAEL, QUI CHANANAEORUM, USQUE AD SAREPTAM. Qui Chananaeorum, inquit, id es, qui ea incolebant modo loca, quae olim tenuerunt Chananaei. Nec alio spectat Chaldaica paraphrasis, quae sic: TRANSMIGRATIO POPULI HUIUS FILIORUM ISRAEL, QUI SUNT IN TERRA CHANANAEORUM USQUE AD SAREPTAM, scilicet pervenient. Duae porro dicuntur fuisse Sareptae, una in regione Sydoniorum, quae Sydoniorum Sarepta appellatur viduae illius foeminae quae Eliam Prophetam pavit munificentia nobilitata: altera in Gallia, ut Hebraei tradunt, provincia, et quo et Gallia ipsa Sarepta, hoc est, Sarphat, ab eis appellatur, de qua Sarepta est quod hic dicitur. Sareptae autem vocabulo *συνηδιον* significatur Gallia tota, ad quam vaticinatur Abdias fore ut perveniat doctrina Evangelii, id est, ut perveniat usque ad orbis fines, quod a Judaea occisum versus tendentibus ultima occurrat Gallia Provincia. Et certe quando fideles Judaei metu infidelium Judaeorum coacti Hierosolymorum urbe cesserunt, Massiliam in Narbonensi Gallia delati sunt: Itaque Galliae Christum annuntiarunt. Ergo cum usque ad Galliam perventuros dicit Evangelii praecones, usque ad ultimas Occidentis oras, et ob id per synedochem ad ultimos totius orbis Romani limites vaticinatur perventuros. Sequitur autem.

13.—Et transmigratio Hierusalem quae in Bosphoro est possidebit civitates Austri.

Omnem cursum divulgationis Evangelii tribus praecipue constare partibus, vel ex illa colligitur Christi parabola, quam Matthaeus de nuptiis retulit, et de vocatis ad nuptiale convivium. Nam ea tota tribus vocationibus constat, sive ter solum in ea, qui convivio interesse deberent, ut adessent, invitati sunt, atque vocati. Primo enim vocati dicuntur ii, quibus jam antea per servos suos Triclinii magister fore ut vocarentur praedixerat. Secundo loco ii vocati sunt et in Triclinium introducti, quos per urbis vias atque plateas vagos, atque palantes iidem servi invenerunt. Tertio et ultimo loco, non vocati modo, sed ut in Triclinium etiam ingrederentur, et accumberent coacti sunt ii, qui extra urbem per agros vagabantur, quique ruri vitam degebant. Constat autem inter omnes ea parabola significatam a Christo esse omnium hominum, non Judaeorum tantum, sed illorum etiam, qui quovis essent propagati patre, ad Ecclesiae accubitus, et ad Evangelii epulas vocationem et invitationem. Itaque quod primo vocati sunt, qui antea invitati fuisse dicuntur, quodque ii venire recusarunt vocati, eo manifeste monstratur, primo Evangelium divulgatum fuisse Judaeis, quibus antea tam saepe pollicitus fuerat Deus fore ut invitarentur, Judaeos autem quamvis invitatos, atque vocatos, tamen non induxisse animum, ut fidei Christi assensum praebere vellent. Quod autem postea vocati sunt, qui versabantur in viis, eos significatum est fore ut Evangelium relictis, qui ipsum respuebant Judaeis, divulgaretur omnibus iis gentibus, quae intra urbem, hoc est, intra orbem Romanum degebant. Quod vero demum itum est extra urbem, et omnes qui ruri erant vi in Triclinium immissi sunt, eo declaravit Christus futurum, ut ul-

timo mundi tempore, quidam extra orbem Romanum egressi, progressique ultra notas, et semper pro ultimis habitas mundi metas alium orbem invenirent, agrestibus cultum et plane feris hominibus, quos ipsi homines partim vi, partim doctrina ingredi in Ecclesiam facerent, et a feritate, et immanitate, cultuque idolorum vanissimo ad mansuetudinem paulatim et ad vitae magis humanum cultum emollirent; denique efficerent, hujus ut coelestis convivii participes esse vellent. De prima igitur atque altera Evangelii divulgatione, hoc est, de Judaeorum primo, ac deinde de gentium earum, quae intra Romanum habitabant orbem vocatione, et invitatione superiora vaticinatus est Abdias, ut diximus. De tertia vero atque ultima ista sunt:

ET TRANSMIGRATIO HIERUSALEM, QUAE IN BOSPHORO POSSIDEBIT CIVITATES AUSTRI. Quae ut explicemus, quaedam necesse est, ut altius repetamus. Ac principio statuere pro certo debemus, quamvis superioris aevi omnem historiam evolvamur, tamen nos reperturos non esse aliquid, quod vel majus sit, vel magis praeter omnium opinionem, et expectationem acciderit, quam id quod patrum nostrorum aetate accidit, cum novus, et hoc Romano non minor, sed latior fortasse atque major orbis, ab Hispanis, vastissimo enavigato mari, repertus est. Alias enim terras esse praeter eas, quas colebamus praesertim tam spatiosas atque latas nemo putabat, et ut suspicaretur aliquis, tamen incolae eas, et frequentari ab hominibus posse nemo credebatur: maxime autem novum et admiratione dignum visum est, tam frequenter eas habitatas propter infinitam hominum, quos gignunt atque alunt multitudinem, tot saeculis latere potuisse, ipsosque earum incolas per tot annos in tantis jacuisse vitiorum tenebris ut vix tandem, lumini Evangelii, ut ad eas introire posse, aditum sit patefactum. Itaque memorabile fuit alium reperiri orbem superioribus a nemine cognitum saeculis: mirum Evangelii doctrinam, cujus clarissimus sonus ad aures credebatur pervenisse

omnium, ejus orbis incolas non modo non audivisse, sed ne rumore quidem ejus afflatos unquam fuisse: mirum denique post tot saecula ad eos esse delatam, et ut delata est, sic a maxima eorum parte susceptam, ejus ut suasu, a majoribus acceptas religiones desererent, et fera corda cultu pietatis mitigari sinerent, seque totos incredibili studio ad Christianae vitae mores traducerent. Quae quoniam res maximae omnino sunt, et ad ecclesiae rationes et Evangelici cursus atque progressus historiam sic expectant, ut cognosci satis ea, iis ignoratis, non possit, dici profecto debet, sacros olim vates, quorum aut omne, aut praecipuum studium fuit, ecclesiae Christi singula momenta vaticinationibus comprehensa suis nobis cognoscenda conscribere, non siluisse de tantis rebus, quales hae sunt quas praescripsimus. Qui enim conveniat, qui minores alias, quod ad ecclesiae causam pertinerent, praedixerunt res, eos nullum verbum facere, sed mutos se exhibere voluisse in eo, quod haud scio an sit omnium, quae in ecclesia acciderunt longe memorabile et maximum? Fecerunt ergo istarum rerum mentionem, easque suarum vaticinationum involucris inclusas, litterisque consignatas posteris prodiderunt, non ante cognoscendas a nobis, quam ipsi rerum eventus, tamquam illato lumine, duces nobis esse ad ingrediendum in eorum sinuosa et tenebris obsita scripta. Nam qui fieri poterat, ut qui alium esse orbem nondum ipsi cognoscerent, ii Evangelium Christi, quod jam olim totum orbem doctrinis imbuisse et praeceptis credebatur suis; nunc post tot evoluta tempora divulgandum iri in alio orbe dici ab his crederent? Ergo eam rem sine dubio inseruerunt suis scriptis Prophetarum. In quo, ut mihi videtur, praecipuus fuit Esaias, cujus de hoc vaticinationes, quoniam cognosci dignae sunt, et a nemine quod sciam hactenus in hanc sententiam sunt expositae, primum ut eas ille scribit, sic referam, deinde sic exponam, quomodo illas oportere exponi judico, nulli alterius sententiae praejudicans. Esaias enim

in decimo octavo de ista re scribens(1), sic inquit: «Vae terrae cymbalo alarum...», et quae sequuntur. Quo in capite, qui in id commentantur, qua de re agat statuere vix possunt. Itaque alii aliud sequuntur, et singuli suas produnt sententias: tantum in eo conveniunt omnes eo capite nihil esse, aut difficilium ad intelligendum, aut obscurius. Et quamvis eorum nonnulli Ægyptiorum, nescio quam cladem prædici suspicentur; tamen Burgensis eximiae vir doctrinae atque iudicii re ipsa in viam inductus, proxime ad veritatem accessit: id certe assequutus est, quo nihil certius a quoquam dici potuit eorum, qui qua ipse vixit aetate vixerunt. Scribit enim videri sibi eo prædici gentium quarundam ipsi ignotarum extremo mundi tempore ad fidem Christi conversionem futuram. Itaque quod iudicii atque doctrinae fuit, id vidit, gentis sua ipsius aetate nondum ad Christum conversae conversionem in eo prædici capite: ignoravit autem, quod ignorari ab eo necesse fuit, quoniam ea futura esset gens novo isto orbe sua aetate nondum invento. Sed quod illi sua ademerunt tempora, videre ut liquido posset quod nondum in lucem venerat, ejus nobis patefactrix, atque magistra facta est ipsa dies. Ergo id in hoc capite Esaias prædicit. Nam certe, ut de eo alii vates siluissent, ejus mentionem non facere Esaias non fuit, vatis, uti ipsum appellat Hieronymus, Evangelici, hoc est, totius Evangelicae rationis atque progressus diligentissimi et accuratissimi scriptoris, usque eo, ut hanc ipsam ob rem, quod remotissima quaeque, et longissimo post futura tempore viderit, in elogio commendetur eo, quod de ipso in Ecclesiastico extat, in quo inter alia sic dicitur (2): «Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes Sion usque in sempiternum». Sed nulla re id magis probetur, quam ipsarum rerum cum Esaias verbis concentu. Tam enim hujus vaticinii universa vel cum iis conveniunt rebus, quae in-

(1) Esai. xviii. (2) Eccle. xlviii.

sunt, aut Indiis iis, ad quos modo delatum est evangelium, aut Hispanis hominibus, quorum ipsi Indi et navigatione reperti et opera sunt in fide instituti, vel cum quadrant, quae utrique genti acciderunt; ut nihil reperiri possit, majorem fidem quod adjungat expositioni isti, quam ipsamet tam ex omni parte, et secum ipsa, et cum Esaias verbis expositio consentiens. Igitur, inquit: «Vae terrae cymbalo alarum, quae est trans flumina Æthiopiae, qui mittit in mare legatos, et in vasis papiri super aquas». Primo Hispanos homines alloquitur, eisque mandata quaedam ex persona Dei perferenda committit: deinde docet ad quos ea perferre debent, hoc est novi orbis incolas ita describit notis suis atque propriis, eos ut conspiciendos exhibeat. «Vae terrae cymbalo alarum.» Hispaniam periphrasi et a conjunctis significat: terrae cymbalo alarum, id est, terrae navigiis abundanti, aut navigationibus arteque navigandi celebri. Nam figurate naves vocat alatum cymbalum: carina enim cymbalo, velum alis est simile. Itaque Graeci rejecta metaphora litterate οὐαὶ γῆς πλοίων πτερύγων, id est, vae terrae navium alatarum: aliique ex Hebraeo terrae obumbranti aliis, id est navibus, et earum velis mare occupanti. Constat autem id Hispaniae proprie convenire, ut ejus navigiis plenum dicatur esse mare, non solum quod abundet navibus, quodque sint Hispani artis nauticae omnium mortalium peritissimi, sed etiam quod ad tentandum mare ratibus sint audacissimi, ita ut ex omni hominum memoria nihil celebrius repeti eorum navigationibus possit. Nam non tantum aditum sibi patefecerunt ad novum inveniendum orbem, sed etiam ab Hispali Bethicae Hispaniae non longe a Gadibus fretoque Herculeo nobilissima urbe, Occasum versus solventes, indeque ad Austrum deflexi, et per Antarcticum mare ad Orientem Solem delati, ab eoque rursus immenso enavigato pelago, eo reversi unde initio solvissent, circumcirca universam terram obierunt. Eos itaque Esaias hac ambage, et translatione

verborum significans dicit: «Vae terrae cymbalo alarum». Pro vae, Hebraicae est וַיְהִי Hoi, id autem interdum vocantis, interdum lamentantis est nota. Itaque licebit vertere. Heus terra cymbali alarum; quod si isto modo accipiatur id verbum, Esaias ex persona Dei Hispanos vocat, sicque attentos reddit ad ea intelligenda et in animo suo repouenda, quae mandaturus est: sin autem lamentantis id sit, ut esse voluit noster interpret, vicem Hispanorum acerbam vates dolet, concatenatos, quos illi subeunt labores, dum ignoto, et magno mari navigantes longissime a domo alias adeunt oras, terrasque vastissimas obeunt, earumque terrarum incolas, quamvis feros, et immanes sub jugum mittunt. Nam quamvis innumeris devictis gentibus, permultisque suae ditioni additis provinciis, Hispani et imperium late propagasse, et nomen suum nobilitasse, et argenti, atque auri immensam vim domum retulisse videri possint; tamen si ea conferantur cum aerumnis, quas exantlarunt, utrum il sint, quibus invidere alii, an quorum misereri potius debeant, nemo facile statuat. Certe si quae avare illi apud Indos, et inhumane, et crudeliter plane fecerunt, secum quis reputet, imminere ipsis, atque adeo impendere a numine ob eas res magnum aliquod malum intelligat. Itaque lamentabitur illorum vicem potius, quam prosequetur gratulatione atque plausu. Igitur, «Vae terrae cymbalo alarum», vae Hispaniae, quamvis navigiis praestanti. Quae est trans flumina Æthiopiae. Adde navigans, aut trajiciens, aut aliquid simile. Nam in hebraeo praecisse dicitur: Quae trans flumina Æthiopiae. Itaque intelligi potest addi deberi, navigat, aut aliud simile verbum, praeterquam quod pro מַעְבֵּר Meheber, Hebraico מַעְבֵּר Mahaber legi posse nonnulli dicunt, tantum punctis mutatis, id est, pro praepositione participium verbum legendum esse, sicque verti deberi. «Vae terrae cymbalo alarum trajicienti flumina Æthiopiae». Pro Æthiopia porro in Hebraico est כּוּשׁ Chus, eo autem significant Hebraei eas omnes regiones,

quas magnis terrarum spatiis Orientem versus Chus filii atque posterius occuparunt, in quibus non solum Æthiopia interior sed et aliae juxta sinum Persicum, atque ultra ipsum positae, usque ad Sinas et novi orbis terras continentur regiones, ad quas primi Lusitani, bonae spei promontorio superato circumactis navibus, et Æthiopiae interioris littora legentes, maximo circumductu navigarunt. «Qui mittit legatos». Hoc relativum superius antecedens terram refert, quae Hebraice interdum est masculini generis. Itaque ait. Heus terra arte nautica celebris, quae legatos per mare mittis. Legatos autem vocat eos homines, quos Castellae, atque Lusitaniae reges altero quoque anno classe instructa mittere soliti erant novae regionis inquirendae causa. «In vasis papiri super facies aquarum». In vasis papiri, id est, navibus. Nam olim e Nilotica junco navigia fiebant, eoque ea vasa papiri vocat pro Hebraicae sermonis consuetudine et proprietate. Sed addit.

«Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem expectantem, expectantem et conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus». Nam Deus postquam Hispanos propriis significatos notis ad se vocavit, ut visum est Esaias, eis mandat ut nuntium suum, id est, evangelium ad nuper reperti orbis incolas maxima celeritate adhibita deferant: eos vero incolas novi orbis non suis appellat nominibus, sed ex accidentibus pro prophetarum more exacte describit. «Ite Angeli veloces». Volo, inquit, oh Hispani, vestra opera Evangelium divulgare in quibusdam valde remotis, et orbi vestro ignotis locis: vos quidem, rei augendae imperique propagandi causa, nemini antea notas magno vitae discrimine mari terras inquiritis; at ego vestro isto audaci studio atque arte uti volo ad annuncian- dum iis, quos mari terraque perquiritis, meum Evangelium. Igitur, «Ite Angeli». Nam quos ego ad hoc munus legare soleo, hac appellatione atque nomine dignor. «Ite ergo

veloces ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem post quem non est alius, ad gentem expectantem, expectantem et conculcatam, cujus diripuerunt flumina terramejus». Novi orbis incolas ad quos Hispani homines navigant, suis ita pingit coloribus, ut eos prope oculis subiciat. Ad gentem convulsam, inquit. Nam sic eos vocat, quod divisi sint, et multum remoti a toto Romano orbe, et vero a commercio gentium reliquarum separati, atque secreti, vel certe convulsi dicuntur propter vivendi morem varium, et agrestem: maxima enim ex parte nullo communis, aut unius reipublicae vinculo conjungebantur, sed vel per agros dispersi ferarum more vitam degebant, vel qui urbes et oppida colunt, pro urbium fere numero, alii alios vitae mores, alias religiones, alia sequuntur instituta reipublicae. Vel convulsos eos dicit quasi immensis terrarum spatiis longe lateque diffusos. Nam pro (convulsam) Hebraice est ממשן Memusach, quod verbum ab extendendo et protrahendo ducitur: sunt autem, aut dici possunt producti Indi, vel collati ad alias gentes, vel habitatione ipsorum inter se, propter causas quas diximus.

Sed addit: «Dilaceratam». Nam sic etiam eam gentem vocat, vel ob regionum quas incolunt situm, ab aliarum orbis regionum, uti diximus, multum remotum, atque separatum; vel certe ob corporis ipsorum habitum, atque cultum: sunt enim imberbes, lenique corpore ac pilis vacuo. Itaque et verbum Hebraicum מורם Morat, proprie depilatum atque lenem significat. Sequitur: «ad populum terribilem». Scilicet ob incultus, atque ferinos mores. Nam et humanibus carnibus vesci soliti erant, antequam nostri ad eos accederent, et Idolis humano sanguine sacrificabant: et ad bellum procedebant ora picti coloribus horrendum in modum: justi porro atque injusti discrimen non tenebant, ac ple-rique eorum promiscua et mascula Venere palam utebantur. Subjungit. «Post quem non est alius», id est qui unus erat reliquus, quique unus supererat ex omnibus gentibus,

cui promulgaretur Evangelium. Sed pergit, ne quis dubitandi relinquatur locus, «ad gentem expectantem»; expectantem, id est, multum atque diu a diluvii tempore ad extrema usque mundi tempora expectantem salutem, et laetum Evangelii nuntium. Expectantem, inquam, non quod ipsis antea nota aut promissa fuisset haec salus per Christum humano afferenda generi; sed expectantem, non tam ex ipsorum cogitationibus, nec tam ex eo quod ipsi sentirent aut scirent, quam ex eo quod re ipsa evenit, quando ea ipsis salus oblata est tam sero, tantoque posterius quam aliis reliquarum regionum hominibus. Nam quibus conferendum est boni aliquid, ii tametsi id conferendum sibi esse non sciunt, tamen quamdiu sibi non confertur, Hebraici sermonis proprietate, expectare dicuntur ipsum, ut in Esaiae illo (1): «Me enim insulae expectant», et in illo Genesis ultimo (2): «Et ipse erit expectatio gentium». Quamquam (ut ego opinor) valde probabile est in omni natione atque gente extitisse semper aliquos homines a reliquorum hominum vitiis alienos, quibus Deus patefaciebat, non quidem aequae omnibus; tamen aliquo certo modo singulis futurum aliquem, qui humanum genus peccatis, et peccatorum poenis obnoxium in libertatem esset asserturus.

Sequitur porro: «Conculcatam», idque rectissime. Dici enim conculcati Indi jure possunt, vel propter ingenium, et conditionem vitae ipsorum (sunt enim abiectissimi, et ingenio humili, et ad serviendum nato praediti), vel certe ob terrae, quam inhabitant, situm ad nostri orbis loca relatum. Sunt enim Indi Palaestinae regioni, qua in regione constitutus Esaias ista scribebat, partim Antipodes, et partim Antisii. Quare alii totum hunc locum ex Hebraeo ad verbum sic: «Lineatim lineatim» sive, ad perpendicularum ad perpendicularum conculcatam, id est, gentem contraria nobis urgentem vestigia, nostrisque e regione subiectam

(1) Esai. LX. (2) Gen. uli.